

36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boosbeck

+

COLLEGGII <sup>34</sup>

POLITICI

DISPUTATIO TERTIA,

*De*

SOCIETATE NUPTIALI

PATERNA, ET HERILI,

*Quam*

In Florentissimâ, Celeberrimaq; Mar-  
chicorum Academiâ,

*DEO Ter optimo Maximo adspirante,*

*Nobilissimâ Facultate Philosophicâ suffragante,*

PRÆSIDE

*Viro Praclarissimo*

DN. M. ELIA GREBENIZ,

Regiomonto-Marchico, Fautore & Præce-  
ptore suo ætatem devenerando,

*Ex Praelectionibus Ejusdem collectam venti-  
landam proponit*

ad diem 21. Februarij,

loco horisq; destinatis,

FRANCISCUS ALBERTUS Glasow /


NobPom. RESPONDENS.



*Chalcographæo RÖSNERIANO, 1654.*



## Sectio prima.

§. 1.  Ractationi *Societatis Humanae* generali succedit Specialis, quâ illa, ejusq; media in specie pensitantur. Disperscitur autem juxta Philosophum in πρώτην, Primam s. simplicem, cujus constitutionem non aliæ Societates ingrediuntur 1. Polit. cap. 3. & 12. Et δευτέραν, secundam vel compositam, cujus Constitutionem aliæ ingrediuntur, quæq; duab; personis absolvi nequeunt, 1. Polit. c. 2. Prima Societas subdividitur in Γαμικὴν, Nuptialem; Πατρικὴν, Paternam; & Δεσποικὴν, Herilem.

§. 2. Materiam Societatis Nuptialis constituunt Personæ: Mas, qui ab Aristotele ἀνήρ ποίσις 1. Polit. cap. 3. & τὸ ἄρρεν. 1. Pol. cap. 2. vocatur; & Foemina, quæ γυναῖξ & ἄλοχ 1. Polit. c. 3. itemq; τὸ θῆλυ 1. Polit. c. 2. appellatur. Hinc ἀνάγκη πρώτον συνδυαζεσθαι τὰς ἀνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι οἷον θῆλυ καὶ ἄρρεν πῆς γενέσεως ἕνεκεν, ait Philosophus 1. Pol. c. 3.

§. 3. *Requisite Personarum Affectiones* sunt: 1. *Generandi idoneitas*, quâ præditi sint, oportet, Matrimonium contracturi: Quia en. hæc Societas ob sobolis procreationem conjungitur, ideò minùs decet ἀγόνως nuptias moliri. Inepti verò ad Conjugium vel sunt tales à Naturâ, ut Androgeni; Vel Fortunâ, ut Eunuchi, de quibus 7. *Histor. Animal. c. 1.* Vel *Tempore*: & hi rursus sunt duplices, utpote nimiùm Juvenes & Senes. Nimiùm juvenes censemus non impuberes saltem, sed illos etiam, qui convenientem Matrimonio ætatem nondum attigere: Nam multa præmatura corporum conjunctio secum trahit incommoda, ut ex *Aristot. probat Cellarius lib. 1. Polit. cap. 2. §. 18.* Convenientem & maturam viro ætatem judicamus, cum 25. annum; & Mulieri, cum decimum quintum vel octavum agit, habito tamen respectu ad subje-  
ctum.

*Stum. Christian. Matth. System. Polit. p. m. 38. & seqq.* Nec est, quod quisquam objiciat, contrariari nos Aristoteli qui *qu. 7. Polit. c. 16.* putat, viri annum 37. Matrimonio congruum: Nam Aristoteles loquitur secundum quid, habitâ ratione suorum temporû & naturæ populi. Quod deinde statuimus, mulierem virò juniorem esse debere, ideò faciendum videtur, ut eò magis virò obsequiosa evadat, ipsique debitam reverentiam præstare adducatur. Porro nimium senes habentur, in quibus desit potentia generandi, quod in mare anno 65 aut etiam 70 in Fœminâ anno 45 aut 50. fieri tradit *Phil. l. c. l. Histor. Animal. c. 6.* Personarum autem decrepitarum vel alterutra, vel utraque talis est: Alterutra, cum vel juveni adsociatur vetula Acherontica, vel retrò *ἡλικίῃ*, defloccato & libitinario Saturno saliens & salax puella. Ejusmodi conjugium non admittendum ducimus juxta Aristotelem *l. cit.* Rationes plures videsis apud *VVendeler. Phil. pract. lib. 2. f. 1. cap. 1. quest. 5. §. 4.* Pro posteriore tamen non prorsus rejiciendo adducunt quidam exemplum Davidis Susamitidem ducentis ob corporis senilis fomentum. Si denique persona æqualis senectutis fuerit, sunt, qui id propter mutuam adjutorium concedendum putant.

*§. 4. 2. Mentis integritas*, quâ intelligunt, quid agant: Hâc itaq; destituti non in conjugium admittuntur, ut sunt infantes, furiosi, Vino prorsus obruti. &c. Minus autem obstat corporis defectus, ut surditas, cœcitas, claudicatio. &c. modo cœterâ sint paria. Quæri potest. *An & monstra conjugia contrahere debeant?* Videtur, quod sic, nisi extremè talia sint & prorsus abominabilia.

*§. 5. 3. Carnis longinquitas*, quâ persona sangviue non sit conjuncta ei, quâ cum matrimonium est initura. Huic opponitur *carnis propinquitas*, consistens vel in consangvinitate, quæ est propinquitas personarum ejusdem sangvinis, carnali propagatione contracta; Vel affinitate, quâ per consummatum concubitum masculus consangvineis fœminæ & vicissim fœmina consangvineis masculi redditur propinquus. De eâ nemo dispensare potest, est enim juris naturalis. Utraque contrahitur tam ex concubitu licito, quàm illicito: *Lege 1. Divinâ. 1. Corinth. 6. 2. Civili l. 14. §. 2. & l. 54. ff. de rit. nupt. sanct. Elector. in Ordin. Provinc. de anno 1580. in fine.* Pontificii addunt cognationem spirituales, quam ex susceptione

sceptione baptismi resultare dicunt. *Bellarmin. l. 1. de Matrim. Sacrament. c. 29.* Verum hæc nulla est, ignota juri Divino & Naturali; Deinde inter Christianos omnes est cognatio Spiritualis, sunt enim omnes ex eodem regenerati verbo & Baptismo: E. nullum conjugium foret inter Christianos instituendum. Hæc amplius deducenda forent, sed cogimur Chartæ inservire. *Adi & Philosophum 2. Polit. c. 4.*

§. 6. *Forma*, sita est in conjunctione indivisibili; quæ debet esse non tam corporis, quam animi, ut scilicet. utraque persona consentiat, & mutuo amore se complectantur: Nam absque consensu nullum conjugium institui potest, & posito eò, conjugium, licet absit concubitus, habetur ratum; concubitus autem esse & abesse potest, salvo matrimonio. Hinc *JCTI ex Ulpian. l. 30. ff. d. R. 7.* statuunt, consensum, non concubitum matrimonium facere; Quod tamen de præsentis accipimus, non etiam futuro, aliàs enim conjugium frustraneum foret, & suo fine, sine quo consistere nequit, privatum. Hinc putamus Morti vicinum hanc societatem non posse facere, distinguendo inter ipsam Conjugii rationem, & inde sequentem communicationem accidentalem. Nihil autem impedit, quo minus consensus sit coactus, quam liber: Nam consensus Coactus proficiscitur ex actione mixtâ, indeque consensus coactus etiam est consensus, licet non simpliciter Spontaneus. Nobis non contrariatur *Arist. 1. Oecon. c. 6.* illud enim 1. non rectè fieri perhibet, non autem posse fieri ut hoc ipso neget, tantum abest, ut potius assitmet. 2. Loquitur de eo casu, qui stare potest cum actione invitâ. Decet autem non tantum illos, qui in hanc societatem descensuri sunt consentire, sed etiam in quorum potestate illi sunt, putâ Parentes, quibus naturâ honos debetur, ut *Deo 3. Eth. c. 9.* & qui illorum munera gerunt. Notanter dicimus, hoc decere, absolute enim necessarium esse, inficiamur cum *Grotio d. j. B. & P. l. 2. c. 5. f. 10.* Nec non celeberrimo *Domino S. Neandro Q. illustr. 1. decad. 2.* Parentibus inter se dissentientibus, Paternus consensus antefereendus est materno: Quia Vir est caput mulieris. *vid. 1. Oecon. c. 6.*

§. 7. Dicitur *indivisibilis Conjunctio*, non quod ullâ ratione dissolvi nequeat; sed velut. *1. Cæl. t. 14.* illud incorruptibile dicitur,

tur, quod facile nequit corrumpi: ita indivisibile *h. l.* vocatur, quod facile dividi nequit: Nuptialem enim hanc societatem nec Fortuna, nec morbus dirimit. *1. Oecon. c. 6.* Tantaq; est, ut virum mulier sequi teneatur. Igitur priusquam instituatur, summâ opus est prudentiâ: Nam ut illud nostrum apponamus:

*Vix iterum peccare licet, capitalis & error*

*Est primus, solâ corrigiturq; nece.*

Probê pervestigandi sunt mores tum Parentum, ex quibus tanquam ex radice censetur arbor, tum ipsius personæ, quâ cum matrimonium pacturi sumus. Servanda quoque est æqualitas, non tam Arithmetica, quàm Geometrica: Nam conjugium quædam amicitia est, quæ secundum Philosophum in æqualitate consistit *7. Ethic. 1.* Æqualitas autem spectari potest in ætate, in dote, in dignitate, item in vitæ statu & conditione, ne spurii cum legitimis, Christiani cum Paganis, Orthodoxi cum Hæreticis, liberi cum servis, & sic porro matrimonium facile contrahant. Interim non negamus, quin cum inæqualitate possit stare matrimonium; sed hoc tantum volumus, prudentius ab æqualibus iniri.

§. 8. *Finis* hujus Societatis est duplex *1. Τεκνοποιία, Sobolis procreatio*, quâ natura Humani generis perpetuitatem complet. *1. Oec. c. 3.* *2. Συγγεία, mutuum auxilium: 8. Eth. lib. 14. & 1. Oec. c. 3.*

§. 9. *Officia* conjugum sunt vel *unita; vel disjuncta.* *Unita* sunt casta & constans fidei conjugalis conservatio mutuus, isque sincerus amor, infirmitatum humanarum tolerantia, Rei familiaris cura, liberorum diligens & honesta educatio, atque elocatio &c. *Disjuncta* sunt vel *Mariti, vel Marita: Mariti* sunt *1. Dominatio*, quâ maritus uxori imperat, & dominatur, cum sit naturâ melior, fœmina autem deterior *1. Pol. cap. 5.* tum animo, quia minùs prudens est *1. Polit. cap. ult.* tum corpore, quia minùs robusta est *1. Oec. cap. 3.* ideoq; ἡ γυναικὶ ὑποτασσέσθαι *1. Pol. cap. 12.* Et æquum est, ut in honestis rebus uxor viro suo obtemperet, quasi in ejus familiam, empta esset ancilla: *1. Oecon. cap. 6.* Hinc & dubio procul liberi à Patre tanquam meliore cognomen accipiunt; Et uxor ignobilis ducta à Nobili nobilitatur, Nobilis autem ignobili viro nupta nobilitatem amittit juxta *Bodin. 1. de Rep. c. 3.* Et Maritus communicat Uxori suum nomen, & familiam, dignitatem, statum & condi-



conditionem; Eatenus quoque, ut vidua facta retineat, quam diu in eodem statu permanserit. *L. filij S. 1. ff. ad municip. & lib. fin. C. de bon. qua lib.* Quod defuncto marito tamdiu matrimonium durare præsumatur. Quæ autem ad vitam tantum marito concessa immunitas, ad Viduam non transit. *vid. König. Liebenth. &c.* Non tamen hinc Barbarorum mos nobis probetur, qui fœminas & seruos pares habuerunt *1. Pol. c. 2.* Quin potius æquum censemus, ut mas πολιτικῶς imperet mulieri *1. Pol. c. 12. & 8. Ethic. 6. 12. 3. Defensio. 4. Sustentatio &c.* Marita officia propria sunt *1. Subjectio, quâ Uxor erga Virum sit subjecta in obedientiâ, reverentiâ, verecundiâ, atque taciturnitate. Ephes. 5. Coloss. 3. &c. 2. Rei familiaris sibi conveniens gubernatio.*

§. 10. Conjugio ratione efficientis repugnat Error, qui duplex est: *Vel personæ, vel fortune.* *Personæ Error* est vel ratione substantiæ, cum alia prorsus persona supponitur, vel ratione qualitatis, ut si quis ducat defloratam pro virgine; à quâ tamen, si eâ solutus esse cupiat, tenetur sibi postea temperare. Huc reducitur impotentia. *Fortune Error* est, quando quis pauperem ducit, quam divitem esse putabat. Hic non solvit matrimonium, nisi fuerit conditionatum. Huc referendus videtur dolus, ut si quis infamis nobilem fœminam ducat: Nam ubi dolus, ibi ex alterutrâ parte nequit esse Consensus, & sic impeditur conjugii contractus. Ratione *materiæ* opponitur *scortatio*, à qua nequit in N. T. eximi Polygamia. Ratione *formæ & finis* contrariatur *Concubinatus*, & *divortium*. *Concubinatus* est unius viri & mulieris mediante fide & affectu, tantum non conjugali, continentiæ gratiâ cohabitatio. *Divortium* est Conjugii ob justam causam ab ordinario iudicio facta dissolutio.

§. 11. His, & pluribus aliis ulterius persequendis superse-  
demus ut: *An nuptias reiterare liceat? Quod affirm. An Consecra-*  
*tio s. Benedictio, quæ fit à sacerdote, necessario requiratur? &c.* Ex  
præcedentibus talem subjungimus definitionem. Κοινωνία γα-  
μικὴ οὐζῶσις τῆς ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς φυσικὴ, καὶ ἀχάριστος,  
ὑπὸ τῆς θεοῦ, τῆς τεκνóποιίας καὶ συνεργίας ἕνεκα, i. e. *Societas*  
*nuptialis est Conjunctio maris & fœminæ naturalis, & indivisibilis, à Deo*  
*ob sobolis procreationem & mutuam adiutorium.*

SECTIO

## Sectio II.

§. 12. Ex Societate Nuptiali exurgit Paterna, sic dicta à potiore hujus Societatis Personâ. Constituitur enim Patre & filio; Ita tamen uterque sexus intelligitur, nec Mater aut filia excluditur: Mater quidem, quia eadem respectu liberorum ipsi competunt, quæ Patri, indeq; socium jus cum Patre vivo habere, eo autem defuncto, illam tantum superstitem conservare adhuc Societatem hanc statuimus; filia quoque idem, quod filio, adjudicamus hæc in parte.

§. 13. Formam itidem hujus Societatis exprimit Philosophus, quando eam definit: Κοινωνία πατρική ὁμιλία τῶ πατρὸς καὶ τῶ τέκνου φυσική καὶ βασιλική, ἢ μόνον τῆς λείβεργίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ὠφελείας ἐνεκα. i. e. Societas Paterna est Societas inter Patrem & filium naturalis & Regia, non tantum ob adjumentum, sed etiam utilitatis gratiâ. Quare naturalis saluetur, sæpius ostensum est; Regia dicitur, quia formam Regni habet, §. Eth. cap. 12. Et Pater liberis imperat βασιλικῶς 1. Pol. c. 12. Unde sequitur, liberos esse in potestate parentum; Tria autem cum Grotio in liberis distingvi possunt tempora, quibus dicuntur esse in potestate Parentum. : *Primum tempus*, quo liberi imperfecti judicii sunt, adeoque æquum, omnes eorum actiones Parentum dominio subesse: Nam quia ob judicii defectum sibi ipsis prospicere nondum possunt, naturâ regimen illorum Parentibus merito defertur. *Secundum tempus* vocat, quo quidem perfectum judicium nacti, subsistunt tamen adhuc in familiâ, & ea propter quâ actiones familiam concernentes imperio Parentum subjecti sunt. *Tertium* deniq; est, ubi Parentum familiâ excellerunt, & sui juris facti sunt; Pietatis, gratitudinis, & observantiæ tamen debito nihilominus perpetuò ipsis manente. Potestas Patria quoq; includit jus coërcendi, abdicandi, & exhereditandi liberos, quod & quomodo competat Parentibus, docetur §. Eth. c. ult. Non tamen ea ad jus vitæ, necisque extendenda, ut vult Bodinus 1. de Republ. c. 4. confer Liebentb. Exerc. Polit. 4. qu. 3.

§. 14. *Finis & officium* hujus Societatis est *mutuum adjumen-  
tum & utilitas*: Patrum est liberos rectè educare & instituere. §. 8.  
*Eth. c. 13.* Rationem addit Philosophus 1. *Pol. c. 10.* ubi *per victum*,  
quodcunque homini ad vivendum confert, intelligere est. Rur-  
sus & liberi Parentibus indigentibus debent *victum*, adeo ut in an-  
nonæ caritate potius illis, quam sibi prospicere debeant §. *Eth. c. 2.*  
*Honorem*, ut *Diis. ibid.* Et *timorem* 1. *Oecon. c. ult.* Non tamen idem  
Patri & Matri honos deferendus, sed Patri, ut, qui est *Βελτιων.*  
§. *Eude. c. 7.* & §. *Ethic. c. 2.*

§. 15. Annectendum quoque fuisset ex Philosopho, *quomo-  
do liberi educandi? Quod non lacte alieno nutriendi? Quando in Scho-  
lam tradendi? An liberi teneantur Parentibus servilia prestare? An  
spurij ad eos honorandos obligati sint? Quid agendum, si duri, ebrij,  
adulteri &c. An Patrem mortem intentaturum interficere liceat: &c.*  
Verùm his jam silentii peplo involutis, transimus ad *divisionem*, quâ  
*Societas Paterna* dicitur vel *naturalis*, ex sanguine & generatione;  
vel *Civilis*, per legem & adoptionem. Ita, qui autem sterile ha-  
bent Conjugium, aut ipsis liberos fatum abstulerit, aliorum liberos  
sibi adsciscunt, ut stemmata & familias conservent.

### Sectio III.

§. 16. Postremum locum inter Societates simplices obti-  
net *Societas Herilis*: Quia nemo vel Dominus vel servus esse potest,  
nisi ante natus sit in Societate Conjugii, & postea educatus in So-  
cietate Paternâ. Dicitur ita à parte potiore, non exclusâ Domi-  
nâ & Servâ; Pars enim Principalis nominata non excludit Partem  
minùs Principalem; Neque removeretur multitudo Servorum &  
Servarum, sed hoc saltem significatur ad Societatem hanc mini-  
mùm requiri *Herum & Servum*. *Herus* est vel *naturâ* talis, qui men-  
te valet prospicere id, quod alter corpore debet facere. 1. *Pol. c. 2.*  
Ad quod non requiritur necessario; ipsum nosse facere, quæ ab a-  
lio vult fieri, sed sufficit, ipsum præcipere posse, ut fiant: 3. *Polit.*  
*cap. 4.* vel *Lege* qui bello, institutione, pretio vel alio accidente ca-  
su legitimo alii dominatur. Sicut igitur inter Nobiles alius simpli-  
citer, & ubique est nobilis, qui virtute, aut genere simul & virtu-  
te talis; Alius saltem domi & apud suos, scil. qui genere tantum  
talis: Ita & alius simpliciter & ubique Dominus, ceu naturâ Do-  
minus

B

minus



minus; Alii saltem apud aliquos & alicubi, qui lege tantum Dominus: Ut colligitur ex 1. Polit. c. 16. Domini officium est servum alere, dirigere & corrigere, ipsius labores beneficè remunerari &c. Quæritur. An Domino potestas vite & necis in Servos rectè olim fuerit concessa? Neg quia Lex divina Exod. 21. pœnam irrogare jubet ei, qui Servum, aut ancillam virgâ percusserit, ita ut manus ipsius moriatur.

§. 17. Servus est secundum Aristotelem 1. Polit. c. 3. Organon Animatum, activum, separatum, alterius homo existens. Dicitur Servus 1. Organon, ut eum propter alium esse indicetur, cum omne instrumentum sit alterius gratiâ. 1. de Part. anim. c. 5. 2. activum, ut distingvatur vel ab opificibus, quorum ministerio in operibus efficiendis solemus uti, vel ab inanimatis, hæc enim principaliter non agunt, sed per quæ tantum agitur ex gratia, Malleus non agit, sed Faber per eum: Inquis: Dominus agit etiam per servum. Contra: sed non tantum, cum in Domini effectu producendo, etiâ Servus agat. 3. Separatum, ad differentiam membrorum Corporis, & reliquorum instrumentorum, quæ resecta à suo Corpore, aut remota à suo Magistro, nihil amplius per se queunt agere & efficere; servus autem potest & absente remotoq; Domino laborare. Servus enim est pars quedam Domini quasi animata Corporis, sed separata pars 1. Polit. c. 6. Officium servi est Dominum revereri ipsi obedire, esse fidelem, defendendo, non prodendo, non deserendo &c. Nec ab hoc debito immunem reddit eum malignitas & vitiosa vita heri. Deinde Servus alius est φύρα, alius νόμος talis. 1. Polit. c. 4. & 5. & 6. Ille propter rationis & iudicii imbecillitatem nec se nec alios regere potest; Hic ex causis certis & justis Servus est factus. Potest quoque addi servus φύρα & νόμος simul, qualis etiam invenitur Dominus. Servum φύρα dicit Aristoteles, 1. Polit. c. 5. Saltem rationis esse participem, ut sentiat rationem, non verò ut eam habeat: Nam sentire rationem Aristoteli idem est ac rationem ab alio datam pati & ferre; habere autem eam alteri dare: Adeoq; prius infert naturâ rationis usum, aut nullum, etiam valde infirmum, posterius expeditum, & excellentem quomodo etiam appetitus sensitivus aliquatenus rationis particeps fieri dicitur quando rationis imperium sentit, eique obtemperat. 1. Eth. cap. ult. Servus item alius est ἐπίτροπος, alius ἐργάτης

ἐργατίας 1. *Oecon. cap. 5.* Illi gerendarum cura committitur, ita ut loco Domini imperet, 1. *M. M. c. ult.* Huic Corporis, manuumque labor incumbit: unde Philosophus tales 3. *Polit. c. 4.* Χερσῖτας, *munuales*, quasi ἀπὸ τῶν Χερῶν ζῶντας, *ex operâ manuum viventes*, nominat. De servis quoque notandum, præ primis νόμῳ talibus, peregrinis, & ejusdem Gentis, prorsus esse in consultum, plures in domum adsciscere; Periculosum admodum quoque esse servum aut prudentiorem, aut formosiorum, aut alacriorem Domino: Nulla enim inter servum Legalem & Dominum intercedit amicitia, ut docetur. 1. *Polit. c. 6.* Et quoad vim colligitur, bello injusto quisquam, captus absque furti Crimine, se Domino resque suas aut etiam laboris sui mercedem, quam supra alimenta præstare æquum est, clam jure subducere potest.

§. 18. Cum dicitur hanc Societatem, conflari τῆς σθητικῆς ἐνεκᾶ, ἢ διὰ τὸ εὐξῆν, id ex utraq; parte suo modo valet; Nec utilitatem hujus Conjunctionis πρώτως Dominum, δευτέρας Servum respicere colligitur ex 3. *Polit. c. 6.* Nam hoc ratione Domini dicitur; Quin potius inde elicitur, idem statuendum de Servo intuitu Domini quod Serviat primariò pro sua utilitate, pro Domini autem per accidens quemadmodum retrò de Domino dicitur: Naturâ enim ita Comparatum est, ut quisque sibi proximus sit.

§. 19. Q. Num detur Servitus Naturalis? Quid ad hoc R. notum esse potest ex superiori disputatione: §. 4. & 5. Postrema ratio §. 4. hic urget ut cum maximè. Imperans enim & obtemperans naturâ propter conservationem se appetunt. 1. *Polit. c. 2.* Et sine necessariis, inter quæ est Servus & Dominus, benè vivere est impossibile. 1. *Pol. c. 4.* Ut enim ille, qui ob negotiorum multitudinem, omnibus præesse nequit, aut corporis ob subtilitatem omnia agenda peragere prohibetur, servis ubi Commodè vivat opus habet, ita & illi, qui debilem ob rationis usum suis benè rebus præesse nequunt, ut commodè vivant, tali, qui quid faciendum, jubeat, indigent; Melius quippe est ut iis imperetur; 1. *Pol. c. 5.* §. 5. adjicimus distinctionem 1. inter jus naturale s. jus Gentium primarium, quo omnes homines sunt liberi & servitus est contra naturam; Et jus Gentium secundarium in specie jus Gentium dictum, quod naturâ & usu exigente, humanisq; necessitatibus constitutum, naturâq; extortum est constituere. 2. Inter naturam Universalem & particularem. 3. Inter naturale purum, cui opponitur voluntariū tam purum, quam mixtum, & necessarium; Et mixtum, cui opponitur saltem violen-

rum purū, seu invitū & fortuitum. Adī etiā *Lieb. Exerc. Coll. Pol. 3. q. 3.*  
 §. 20. Præterea quæritur: *Num Servitus Legalis sit admittenda?*  
 Affirm. quia congruit lumini naturæ & scripturæ. Diligens autem  
 personarum & circumstantiarum ratio habenda, ne quisquis ei-  
 dem servituti subjiciatur. e. g. ut aliter tractentur Christiani, aliter  
 Ethnici. Modus autem servitutis legalis sunt varii. Fit enim vel  
*liber*, vel *Coactus*, *Liber*, cum quisquam ex conditione ob certam  
 mercedem & compensationem Domino operam suam ad tempus  
 addicit; *Coactus* est, vel *jure Gentium*, vel *jure Civili*: *Jure Gentium*  
 servi fiunt vel *nativitate*, vel *captivitate*, vel *voluntate*. *Nativitate*, servi  
 sunt, qui in Conjugio licito vel utroq; vel tamne patre Servo; in il-  
 licito, alterutro Parente illibero procreantur. *Captivitate*, qui justo  
 bello expugnati sub jugum mittuntur, moderamen tamen hic adhi-  
 bendū est, ut capti, vel perpetuæ servitutis damnentur, vel servitus  
 mitigetur, vel præstito lytro remittatur, pro ratione delicti & admis-  
 si. Licita est hæc servitus, vindicta enim legitima est; Et qui habet  
 vim & jus occidendi, vel aliâ graviore pœnâ, afficiendi, ei licet, hoc,  
 quod minus est, scil. in Servitutum abducere. *Voluntate* fiunt servi  
 contractu, non autem quovis, sed illo, qui ex impietate proficisci-  
 tur, ut si quis sumptis nummis libertatem ejuraverit, seque vendide-  
 rit. *Jure Civili* servus fit 1. qui ad mortem damnatus, salvatur. 2.  
 Ex ære alieno, si id profundendi, vel aliâs illegitimi luxus gratiâ  
 sumserit, aut ne solvere possit, ipse in culpâ sit *ex LL. 12 Tabul. vid.*  
*d. hoc Anis. p. 105. & seqq. Fusins de hoc Liebenth. Colleg. Pol.*  
*Exerc. 3. quest. 5. & 6.*

**N**obilis esse potest, claro quem Sangvinis ortu  
 Nobilitat magni Nupta Pelasga Jovis;  
 Nobilis est, virtutis honor quem Marte vel Arte  
 Nobilitatæ, Mortæ Fata cavere potis:  
 Nobilis hinc bellè, quem fortia bella gerentem,  
 Nobilitat Proles Mars fata flore Jovis;  
 Nobilis at summè, liquido quem nectâre fietum,  
 Nobilitat cerebro nata Minerva Jovis:  
 Huc Glasoviades velis remisq; laboras,  
 Divini gaudens Nobilitate Sophûs;  
 Nobilis haudquaquam tibimet, quem nobilis alvus;  
 Sed quem nobilitat Nobilis Artis amor.

*Tâm Docto, quàm Generoso & Nobili Dn. Respons. app.*

PRÆSES.


35 (0) 52

00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm









B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

<sup>24.</sup> **EGII**  
**ICI**  
**TERTIA,**  
**NUPTIALI**  
**HERILI,**

34

berrimaq; Mar-  
demiâ,  
*rimo adspirante,*  
*osophicâ suffragante,*  
E  
*isfimo*

**GREBENIZ,**

Fautore & Præce-  
venerando,  
*m collectam venti-*  
*onit*  
ebruarij,  
stinatis,

**ERTUS Glasow /**  
**SPONDENS.**



**ERIANO, 1654,**

